

Officium dividitur: honestum et utile, et quid praestantius. Deinde haec tria in quinque genera diviserunt, in duo honesta, et duo utilia, et eligendi iudicium. Prima igitur pertinere dicunt ad decus honestatemque vitae, secunda ad vitae commoda, copias, opes, facultates. De iis eligendis subesse iudicium. Haec illi. Nos autem nihil omnino nisi quod deceat et honestum sit, futurum magis quam praesentium metimur formula: nihilque utile, nisi quod ad vitae illius aeternae prosit gratiam definimus, non quod ad delectationem praesentis. Neque aliqua commoda in facultatibus et copiis opum constituimus, sed incommoda haec putamus, si non rejiciantur: eaque oneri magis cum sint aestimari, quam dispendio cum erogantur. Non superfluum igitur descriptionis nostrae est opus, quia Officium diversa aestimamus regula, atque illi aestimaverunt. Illi saeculi commoda in bonis ducunt, nos haec etiam in detrimentis: quoniam qui hic recipit bona, ut ille dives, illic cruciatur: et Lazarus, qui mala hinc pertulit, illic consolationem invenit. Deinde qui illa non legunt, nostra legent, si volent: qui non sermonum suppellectilem, neque artem dicendi, sed simplicem rerum exquirunt gratiam.

DE DECORO, ET QUOD PRIMUM OFFICIUM SIT LINGVAE
MODERATIO.

Decorum autem in nostris scripturis primo constitui loco (quod graece *πρέπον* dicitur) instruimur et docemur, legentes: Te decet hymnus, Deus, in Sion: vel graece: *Σοὶ πρόκειται ὕμνος ὁ Θεὸς ἐν Σίῳν*. Et Apostolus ait: Loquere quae decent sanam doctrinam. Et alibi: Decebat autem eum, per quem omnia, et propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis eorum per passionem consummari. Numquid prior Panaetius, numquid Aristoteles, qui et ipse disputavit de Officio, quam David; cum et ipse